



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Duo Tractatus

Moneta, Giampietro

Marburg, 1628

I. Qua de causa introducta sit Optio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63048)

multo vero magis suo Capitulo. nu. 62. præsertim
ex causa remunerationis, num. 63.

CAP. II.

Quo jure introducta sit Optio.

QUÆRO PRIMO, *Qua de causa introducta sit
Optio?*

Respondeo cum gloss. in d. cap. fin. in verbo antiquiores de consuet. in 6. quod hæc consuetudo † innititur æquitati Canonice, quæ vult, antiquiores præferri canonicis novis, & seniores in ecclesia junioribus, c. quid proderit, & seq. 61. dist. cap. episcoporum. 74. dist. c. ult. in 75. & c. bene quidem. 9. 6. dist. cum similib. quam gloss. sequitur inter alios Franc. Marc. decis. Delph. 1258. n. 2. 1. part. idem etiam voluerunt Archid. Jo. An. Gemin. & alii d. c. fin. dum respondent ad jura, quæ in contrarium facere videntur, & in specie Archid. num. 1. & Franc. num. 6. per hunc textum juncta glossa, & Rot. decis. 6. ad fin. de consuet. in no. dicunt, † hanc consuetudinem optandi esse rationabilem & approbatam à jure; rationabilem etiam & æquam eam dicit Vivi. in commu. opin. verbo consuetudo rationabilis & æqua, & late ostendit Prob. in Addit. ad Io. Monach. d. c. fin. num. 34. & seqq. Et sane summus Pontifex aperte illam approbare videtur, dum præbendam, quæ ex hac consuetudine optandi deberur, de jure debitum appellat; licet non ignorem, juris appellatione large consuetudinem comprehendi.

QUÆRO SECUNDO, *An & quanto tempore consuetudine induci possit jus optandi?*

De primo † nulla difficultas est, tum quia dispositio hujus textus, quæ de jure optandi agit, ponitur sub tit. & rubr. de consuetudine, quod est in jure optimum argumentum, † juxta text. in l. 1. & ibi not. Bart. Bald. Ang. Salic. Castr. Alex. & las. ff. si cert. pet. gl. in c. potuit de loc. & in rubr. de reg. jur. in 6. & utuntur passim eo argumento Doct. ut fuse prosequitur Nic. Everard. in
topis,